Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. 1298

QVÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus mane diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 19. Martii.

M. ANTONIO DE CAEN, Doctore Medico, Præſide.

Eſt ne in cibis ſumendis ordo ſervandus?

CIBORUM omnium parens eſt natura, gula vorax, Medicina præſes. Hæc optima vitæ cuſtos, non modo naturam imitatur, cibis ad ſalutem utilibus homini propoſitis: verùm etiam caſtigat gulam, dum eorum tantam varietatem dubiis menſis appoſitam aliquo ſaltem ſumendi ordine reprimit, & minùs noxiam reddit. In quo artis beneficentiſſimæ officio dubitari poteſt, utrum minor utilitas repoſita ſit ad nutritionis probitatem, quàm in alimentorum delectu. Ut ut enim quis ſucci copiâ, qualitate, coctioniſve facilitate diſtinxerit id omne, quod calidum, & humidum, ſuâ ſubſtantiæ familiaritate in noſtram convertitur. Attamen non mediocrem ſuæ vitæ injuriam facit, quiſquis illud promiſcuè hauſtum, nec inſtitutâ ſalubri quâdam prioris, ac poſterioris ratione dirigit ad caloris nativi, & partium coctioni miniſtrantium vires. Quòd ſi iniquâ cibi ad eas proportione, comparationéque offenduntur, pariter titubat, ruitque chyli confectio, & valetudinis conſervatio.

UNO ferè ægrotamus, valemuſque ſanguine, proximo totius corporis alimento, & ſimpliciſſimo cujuſque partis inſtrumento. Ejus originem ab uno corde ducunt, qui cremorem, in quem ſtatim commutantur alimenta, acceptum referunt acido cuidam fermento. In hoc tota eſſe videtur ætas noſtra: ita turget, ut in varia hinc inde diſcedatur doctrinarum divortia de coctionis negotio: quamquam de hoc omnes unâ mente, & voce conſentiunt, ut exiſtiment nobiſcum, talem neceſſariò futurum eſſe ſanguinem, qualis fuerit chylus à primâ coctione ciborum, atque alterum alteri laude reſponſurum, aut vitio. Iſte igitur lacteus liquor, niſi ex ciborum particulis primùm in ore comminutis, ac deinde in ventriculo attritis, omninóque fuſis liqueſcat, inde deducitur crudus, plurimáque adhuc craſſiorum ſordium mole rudis, & impurus. Hanc autem omnem impuritatis labem brevi excipit ſanguis, neque unquam deponit, aut ſecum patitur; quin eam toti deinceps corpori aſpergat, nec ſinè inſigni damno ſanitatis, quam propiùs regit, & gubernat.

NIHIL nos alit, niſi vitæ quondam particeps fuerit. Hujus diſcrimina à plantis, & Animalibus longè quæruntur; propiùs verò ab eâ materiæ conditione, ex quâ cibus concrevit multiplex, & diverſus: ſubſtantiâ quidem, durus, mollis; tenuis, craſſus, rarus, denſus, aſper, lævis, friabilis, lentus. Quo peculiari conſtitutionis nomine æquè inter ſe diſcrepat, ac ullâ primarum qualitatum menſurâ. Ab hac materiæ diverſitate, non omnis abeſt affinitas, quæ alimento nobiſcum intercedit; ſed alia tantummodò, atque alia naſcitur hujus ritè coquendi difficultas, aut cocti utilitas minuitur. Quemadmodum enim fugacis molliorisque naturæ fructus ὡραῖοι æſtivo ſole confecti quàm primùm carpuntur; Autumnales verò craſſiores & duriores, diu ex arboribus pendent ad tardiorem maturitatem: Ita etiam tenerioris concretionis cibi nativo calore facilè ſubacti citiùs ſecedunt è ventriculo; dum ei adhuc contumaciùs reſiſtunt, quotquot firmiorem nacti ſunt fibrarum texturam. Unde nefas eſt hos velut coctu difficillimos, illis longè facilioribus præmitti: & ſingulos inordinato paſtu ſumi ab eo, qui de coctione tam bene judicare, quàm de ſuâ ſalute bene mereri cupit.

TOTIES ventriculi coctio ex naturæ votis minùs ſuccedit, quoties cibus qualiſcúmque in ſuavem cremoris liquorem converſus, ſentit ſibi longiorem ad decedendum moram, & impedimentum injici ab alio crudo, qui prior hauſtus poſticis ventriculi foribus peſſulum obdit, ut alter diu retentus in hac primâ vitæ officinâ, præter modum torreatur obnoxiùs corruptioni nuſquam emendandæ, ex quâ nauſea, præcordiorum dolor, fœtidi ructus: Velut gratiſſima quævis fercula, ſi diuturniori igne torquentur, priſtinam ſaporis gratiam, aut nidore, aut acore perdunt. Quamobrem ad præcipuam coquendi facilitatem, jura, decoctaque carnium præire debent, ſolentque carnibus quorumcúmque Animalium: & hæ elixæ ſuffocatis, ſuffocatæ minutim conciſis, conciſæ aſſis, aut frixis, aſſæ denique ſale duratis, & fumo. Domeſticæ etiam animantes præcedunt agreſtes, è quibus montanæ, & aquaticæ aves hanc claudunt veſcendi ſcenam. Herbarum quoque folia primis menſis; turiones, caules, & fructus, quò ſunt duriores eò magis ſervantur ſecundis, velut boleti, & tubera. Quaſi medicina in hoc gulæ veneno nondum adhuc hominis ſalutem deſperaret: dum tardiùs ſumi jubet, quicquid frigidius, craſſiuſve diuturniori indiget ventriculi operâ; non ſecus ac ei primùm tradi, quicquid temperatius, ſuáque teneritate comparatius eſt, ut ſtatim ſolvatur, ſolutum effluat ad regiam ſanguinis viam.

SANITATEM itaque pro edendi voluptate paciſcitur, qui uno, eodémque tempore quodlibet eſculenti genus devorat, coctu promptum, tardúmve fuat, quale periculum ferè nemo ſibi præcavet à farciminibus ſalſamentis, aliiſque condimentis, quæ vario rerum diverſarum mangonio adulterata, omnem ſuſque deque habent ſumendi ordinem. Neque hunc rectè ſequitur, quiſquis paſtum velut ædificium ex craſſiore fundat alimenti materiâ: aut menſæ accumbens ſtatim ventriculum, velut utriculum nimio potu diſtendit, aut diſſoluit. Ut enim altero edendi vitio obex interponitur chylo ad exitum paratiori: ſic altero deinde, laudabilis quiſque cibus fluctuanti agitatione præceps, ſuam antevertit elaborationem; quàm promovet potus viciſſim, & identidem aſſumptus, ex aquâ tamen ſalubrior, quàm ex vino ſaltem meraco. Cujuſmodi autem placuerit, ei nec omnino parcendum erit, nec largiùs unquam indulgendum. Verùm quicúmque ſuæ ſaluti conſulet, is plurimâ exercitatione opſonabit famem, non gulæ, aut voluptati quæſitam, ſed naturæ. Dum etiam inter epulas alimenta priora ſumentur, quæ lubricant alvum; poſteriora deinde, quæ eamdem aſtringunt, & nonnunquam temperant. Si quæ præterea condítiones, & eliquamina ſunt ancipitis ut plurimùm ingenij; hæc quoque, ſervatâ ſui temporis lege diversâ attingantur; ne pravâ libidine æſtuans corpus, pejoris aliquandò ſucci redundantiâ magis excandeſcat.

Eſt igitur in cibis ſumendis ordo ſervandus.

Aſſerebat Lutetiæ LUDOVICUS POIRIER, Richelæus. A. R. S. H. 1676.